

Nf 14



43  
DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
DODECADIS POSTERIORIS

Q V I N T A,

DE

**JUSTIFICATIO-**  
**NISSENSU FORENSI,**  
IN THESI ARGUMENTIS  
PLURIBUS DEMON-  
STRATO:

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

*die Martii hujus M DCC XXI. anni*

PRAESIDE

**D. JOACHIMO LANGIO,**  
S. THEOL. PROFESS. ORDINARIO,

RESPONSIONE PUBLICA DEFENDIT

**JOAN. FRIDER. HILDEBRANDUS,**  
BEERWALDA MESO-MARCHICUS,  
S. S. THEOLOGIAE CULTOR.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.

DISSERTATIONUM ANTIQVARIARVM  
BIBLIOTHECÆ DISPOSTIONIS

QVINTA  
DE

JUSTIFICATIO

IN SENSU FORENSI

IN THESI ARGUMENTIS

PIURIBUS DEMONSTRATA

STRATO

QVINTA

IN REGIA ACADEMIA

PHILOSOPHICÆ

PRÆSIDI

D. JOACHIMUS LANGIUS

PHILOSOPHICÆ FACULTATIS

ORDINARIUS

JOAN. FRIDER. HILDBRANDUS

PHILOSOPHICÆ FACULTATIS

ORDINARIUS

JOAN. FRIDER. KOTTHEITZ





DOCTRINAE  
DE  
JUSTIFICATIONE FORENSI  
PROPOSITIO GENERALIS,

*Utriusque sectionis propositionibus specialibus  
deducta & declarata.*



Justificatio est actus fo-  
rensis, quo Deus, ju-  
stus, & intuitu inter-  
positi lytri, simul mise-  
ricors, judex peccato-  
rem poenitentem ac credentem pro-  
pter Christum ita declarat justum, ut  
ipsi justitiam Christi, fide apprehen-  
sam, ad suam ipsius justitiam & salu-  
tem imputet, suam vero ipsi injusti-  
tiam

tiam, seu peccata, ad condemnationem non imputet, sed hæc ipsi remittat, adjuncto benedictionis spiritualis cumulo.

SECTIO PRIOR  
DE  
JUSTITIA CHRISTI IMPUTABILI, TANQVAM ARGUMENTO SENSUS FORENSIS PRAECIPUO:

*Expressa Scripturae loca  
de imputatione & non-imputatione,  
huc pertinentia.*

1. In sensu positivo, seu de *imputatione justitiae*, princeps est locus Gen. XV, 6. ubi Deus dicitur *id Abrahamo imputasse in justitiam*, quod promissioni ejus de Messia & ejus redemptione, promissioni de Isaaco involutæ, crediderat, eamque sibi applicaverat. Qui locus e sequenti hujus materiae deductione, quam 10. *Propositionum* series habet, plus lucis ac *Seriositas* accipiet.

2. Jam sufficiat circa illum observare, quod Paulus Rom. IV. in ejusdem allegatione & applicatione ad communem justificandi modum, ex ejus sensu eruat phrasin de *ipsa justitiae fidei imputatione*, quando v. II. ita ait:

ait: *Abraham signum accepit circumcissionis, sigillum JUSTITIAE FIDEI, quam in praeputio habebat, ut esset pater omnium credentium in praeputio, ut etiam illis JUSTITIA (nimirum illa fidei, seu fide apprehensa) IMPUTARETUR.* Sic Apostolus duplicato testimonio, seu suo Davidico illi adjuncto v. 6. *David, inquit, beatum praedicat illum, cui Deus IMPUTAT JUSTITIAM sine operibus.*

3. Locum sensus negativi, seu de non-imputatione *injustitiae propriae*, seu peccatorum, praecipuum habemus Psalmo XXXII, 1, 2. *Beatus ille est, cui remissa est defectio, obiectum peccatum: beatus vir est, cui NON IMPUTAT Dominus INIQUITATEM.* Quae verba repetita videas a Paulo Rom. IV, 8.

2 Cor. V, 19. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi ipsi, μη λογιζόμενος αυτοίς τὰ παραπτώματα αὐτῶν, non imputans ipsis peccata ipsorum.* Quae quidem imputatio h. l. pertinet ad voluntatem antecedentem de lytri ad non imputationem peccatorum acceptione, unde dependet ejusdem applicatio respectu voluntatis consequentis, poenitentiae ordinem requirentis.

4. λογίζεσθαι idem esse ac ἰλλογεῖν Philem. 18. patet, uti e locis jam allegatis, aliisque v. g. Rom. II, 26. 2 Tim. IV, 16. &c. sic etiam ex usu LXX. Interpretum, qui eo reddunt verbum כָּשָׂה Lev. XVII, 4. Num. XVIII, 27. &c. Inprimis huc pertinent loca domestica Gen. XV, 6. Psalm. XXXII, 2.

5. *Imputationem vero justitiae Christi non esse ejusdem infusionem, sed, cum de justitia aliena sermo hic sit, esse actum aestimationis forensis, quo credenti, quod ipse non habet, adjudicatur, res ipsa indicat, & ex iis liquet, quae Dodec. I. Dissert. II. III. & IV. de ju-*

*stitia Dei vindice, de peccati reatu & de imputatione dicta sunt. Idem constabit adhuc luculentius e Sectione II. hujus Dissertationis.*

6. Quandoquidem vero hæc ipsa materia de *imputatione justitiæ Christi & non imputatione nostræ injustitiæ, ob phraseologiæ biblicæ diversitatem, imperitis aliquid difficultatis, seu obscuritatis habere, videtur, eam sublaturus rem omnem decem aphorismis, observationibus seu argumentis aliquot illustrandis & confirmandis, proponam*

PROPOSITIO I.

**Justitia, quæ nobis imputari dicitur, est Christi justitia, etsi Christi mentio expresse non est addita.**

DEMONSTRATIO.

1. *Ex ipsa justitiæ Christi natura.* Hæc enim omnino est imputabilis, utpote proprietatem lytri & vicariæ satisfactionis habens, uti constat e Decad. I. Dissert. VII. & VIII. ideoque hæc ipsa non potest non intelligi, quando Rom. c. IV. in sermone de justificationis negotio *justitiæ alicujus imputate fit mentio, etsi nomen Christi non addatur.*

2. *E proprietate locutionis synonymicæ: Deus peccata non imputat. v. 8.* Hæc vero peccatorum non imputatio vi justitiæ vindicis locum habere nequit, nisi supponatur *justitia satisfactoria & imputabilis, & ejusdem imputatio; quemadmodum liquet e Dodec. prioris Dissert. II. III. & IV.* Et ex hoc ipso analogiæ fundamento Paulus Davidis verba e Psalm. XXXII, 2. *de peccatorum*



*non imputatione* usurpata Rom. IV, 6. [quod bene notandum est] positive de *imputatione justitiæ* interpretatur, utraque locutione de re eadem utens. Confer omnino 2 Cor. V. ubi Paulus *non-imputationem peccati* mirum proprii, v. 19. ita refert ad *imputationem peccati alieni* Christo factam, & locutione: *peccatum fecit*, expressam, ut inde respectu nostri inferat imputationem justitiæ alienæ, seu Christi, verbis: *ut fieremus justitiæ Dei in ipso* (Christo) notatam.

3. *E contextu integra* locorum de imputatione justitiæ Rom. VI, 6, 11. Hic enim commendat nobis secundum cap. III, 21. seqq. ejusmodi justitiam, legis & prophetarum testimonio comprobata, quæ venit per fidem in Jesum Christum, & quæ per ἀπολύτωση sanguine Christi factam effecta est. Idem comprobat exemplum Abrahami cap. IV. pluribus allegatum. Abrahami enim objectum erat promissio de Messia & ejus redemptione, ideoque hæc ipsa hic sub justitiæ imputabilis nomine intelligitur. Et ad Christum hic ab ipso Paulo fieri applicationem, expressa littera duorum ultimarum capitum IV. commatum abunde docet.

4. *E locis aliis re ipsa parallelis*, ubi Christus dicitur *justitia*, & quidem NOSTRA Jer. XXIII, 5, 6. XXXIII, 16. immo nobis facta justitia 1 Cor. I, 30. Conf. Jes. XLV, 23, 24. coll. Rom. XIV, 10, 11. Phil. II, 10. 11.

5. *E defectu alius justitiæ nobis imputabilis*. Nostra illa non est, nec innata effectaque, nec infusa; siquidem in nobis justificandis non justitia nostra propria, sed potius peccatum non imputandum invenitur. Et hoc est, quod Paulus tradit Rom. IV, 4. Phil. III, 9. Alius hominis justitiam nobis coram foro Dei esse imputabi-

tabilem, nemo a fermento Pontificio alienus dixerit. Dei vero iustitia, citra lytrum considerata, eo minus nobis est imputabilis, quo magis est vindex. Ergo Christi redemptoris est iustitia, vi redemptionis, seu satisfactionis, nobis ad salutem imputabilis.

## PROPOSITIO II.

Per iustitiam Christi nobis imputabilem non intelligitur essentialis illa divinæ naturæ cum humana communicatæ, seu iustitia *personæ*, sed iustitia *officii*, quæ personali isti iustitiæ innixa nostri loco Deo præstitit obedientiam activam & passivam, vere piacularem & meritoriam, ideoque nobis imputabilem.

## DEMONSTRATIO.

I. *E differentia personæ & officii* *ἰλασµὸς* manifesta. Hanc vide inter alia Hebr. VII, 25. seqq. ubi summus sacerdos Christus ratione *personæ* suæ dicitur ὁσίῳ, ἀνακρίῳ, ἀυλαντῳ, κερωρισµὸν ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν, & inde inferitur, ipsi non opus fuisse sacrificio pro se ipso. Ratione *officii* vero, quo nobis factus est iustitia, dicitur nos salvare, ita ut per ipsum venire possimus ad Deum; & pro nobis victimam obtulisse. Sic I Petr. I, 19. Christus ratione *personæ*, seu personalis iustitiæ, dicitur agnus *omnis labis & maculæ expers*; at ratione *officii*, seu officialis,

alis, ut ita loquar, justitiæ nos sanguine suo pretiosissimo redemisse. Eandem personæ & officii ejus differentiam videas c. III, 22 - 24.

2. E proprietate justitiæ Christi personalis & essentialis.

Hæc per naturam suam nobis non magis est imputabilis, quam justitia Patris & Spiritus Sancti essentialis. Essentialis enim illa justitia potius ob peccati reatum ad irrogandam pœnam pro natura sua propendet & satisfactionem requisivit & admisit, uti Decad. I. Dissert. II. vidimus. Aliud vero est, essentialem Christi justitiam, in quantum illa sub notione sanctitatis comprehenditur, justitiæ officii dedisse valorem, aliud, esse per se imputabilem,

3. E synonymia justitiæ Christi imputabilis, quæ est in obedientia & redemptione, seu satisfactione, variis modis & locutionibus expressa ac nobis commendata, secundum Dec. I. Dissert. VII. & VIII. Redemptio vero non ad essentialiam, sed ad officium Christi pertinet, seu de persona dicitur respectu ad officium habito.

Not. a) Quia justitia Christi nobis imputabilis est justitiæ officii ejusdem, & quidem *λασικῶς*, facile liquet, locutiones istas, quibus Christus dicitur justitia nostra, & nobis factus esse justitia, non habere sensum mere objectivum & effectivum, quo Deus dicitur fortitudo, aut spes nostra, sed forenses notionis piacularis & imputabilis.

b) Ex eo, quod justitia Christi nobis est imputabilis, liquet, non solum passivam, sed activam quoque obedientiam esse *λασικῶς* & meritoriam. Nam justitia adeo non potest excludi a notione obedientiæ activæ, ut ea potius hanc pro notione sua gram-

matica etiam quam maxime exprimat. Unde c. Rom. V. est synonymum *obedientia* v. 18. 19. Et hic intelligi maxime activam obedientiam, patet ex integro contextu, imprimis collato c. I, 17. c. II, 13. c. III, 22. seqq. sed passiva non exclusâ; quemadmodum Phil. II, 8. activa non excluditur.

## PROPOSITIO III.

Justitia Christi nobis imputabilis dicitur etiam **DEI JUSTITIA**, in oppositione ad nostram, quæ ipsa est injustitia, & respectu originis, valoris ac imputabilitatis, seu quod a Deo, tanquam sufficientissima, lytri instar vicarii accepta sit, & nobis imputari possit.

## ILLUSTRATIO.

Rom. I, 17. *Justitia Dei in evangelio revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Justus ex fide vivet.* Et hoc ipsum eum proponitur in finem, ut inde probetur, evangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti. v. 16. Cedit itaque ista Dei justitia potenter in hominum salutem, evangelio manifestata.

Rom. III, 21, 22. *Justitia Dei (per quam justificamur v. 20.) sine lege manifestata est, legis & prophetarum testimonio comprobata. Nam justitia Dei per fidem in Jesum Christum venit ad omnes & super omnes credentes. Quæ justitia*

*justitia Dei qualis sit, v. 24, 25, 26. egregie declaratur de gratia & redemptione Christi in sanguine ejus ἰλαστικῶν, per fidem apprehendenda.*

Rom. X, 3. *Judei non agnita Dei justitia (de qua v. 4. dicitur, Christus legis finis ad justitiam omni credenti) propriam molientes stabilire, justitiæ Dei non subiecti fuerunt (ira scilicet, ut in Christum, legis finem, ad justitiam crederent, uti habet v. 4.)*

2 Cor. V, 21. *Dicimur hic fieri justitia Dei, & quidem a) in Christo h. e. justitia a Deo Christi nomine & in communione cum Christo nobis donata: b) in oppositione ejus, quod is Christum fecit peccatum pro nobis, ad reconciliationem v. 18. seqq. Id quod sicut factum est per imputationem, sic etiam per imputationem justitia Dei in Christo reddimur.*

Philipp. III, 9. *Omnia pro damno & stercore reputavi, ut Christum lucrifaciam & (post perditionem meam pristinam) in ipso inveniar, habens non meum justitiam, illam ex lege, sed illam ex fide in Christum, que ex Deo est justitia super fide. Ubi justitia Dei dicitur a) justitia ex Deo, ratione originis, unde nobis per imputationem obvenit: b) justitia aliena, nostræ & falso creditæ opposita. c) justitia, que obinetur per fidem in Christum, d) justitia, que ex, seu a, Deo fide obvenit.*

## PROPOSITIO IV.

*Justitia Christi nobis imputata dicitur quoque fidelium justitia ratione termini, quo tendit, seu ratione applica-*

B 2

plica-

plicationis, per quam ad terminum, seu scopum suum, pervenit.

## ILLUSTRATIO.

Apoc. XIX, 8. *Et dabatur sponse agni, ut se indueret veste byssina pura & splendida.* Nam byssus illa erat τὰ δικαιώματα τῶν ἁγίων, merita justitiæ sanctorum, seu sanctis donata Rom. V, 16. condemnationi opposita. conf. Apoc. c. VII, 14. ubi *sancti stolas suas* [ nimirum byssinas illas justitiæ ] *lavisse & depurasse dicuntur sanguine agni.* Huc omnino refer stolam illam mundissimam, quæ cum reliquis purioris cultus ornamentis describitur in sancto epithalamio Psalm. XLV. nec non Jes. XLI, 10. Et hæc illa ipsa est ἡ σολή ἡ πρώτη, stola illa prima (quam humana natura in Adamo habuit) & primaria, filio degeneri, at resipiscenti, reddita. Luc XV, 22. Huc omnino refer *habitum* illum *novum ac mundum*, quo, remoto pristino & immundo, Christus Josuam sacerdotem typicum exornavit, addita interpretatione de imputatione justitiæ & non imputatione injustitiæ: *Ecce, inquit, peccata tua a te removi.* Zach. III, 5.

Hoc ipso donationis & applicationis respectu justitia Christi Rom. V, 17. vocatur *abundantia gratiæ & donum justitiæ acceptæ*, unde constituimur justii v. 19. ita ut per hanc ipsam justitiam donatam & possessam habeamus intra nos regnum Dei; cum illa ipsa conjuncta sit cum beneficio ac sensu pacis ac lætitiæ in Spiritu Sancto Rom. XIV, 17.

## PROPOSITIO V.

Et hanc ipsam justitiæ Christi donationi-

nationem, & applicationem ac possessionem, qua illa fit fidelium justitia, notant locutiones de imputatione, nimirum justitiæ, AD seu IN JUSTITIAM.

## ILLUSTRATIO.

Principem hic locum habemus Gen. XV, 6. de Abrahamo, ubi promissio de Messia fide apprehensa ipsi dicitur *imputata esse in justitiam*.

Et ex hoc ipso loco hanc locutionem cum re ipsa Rom. IV. ad justificationem omnium credentium quater applicatam videas, nimirum v. 3, 5, 9. conf. v. 10. item v. 22. conf. v. 23, 24. Porro Gal. III, 6.

## PROPOSITIO VI.

Quia justitia Christi donata fidei est objectum & fide apprehenditur, in sacris justitiæ frequenter fidei mentio adjungitur.

## ILLUSTRATIO.

Rom. I, 17. *Justitia Dei in Evangelio revelatur ex fide in fidem*. Ubi notandum est, voces *ex fide in fidem* construi non tam cum verbo *revelatur*, quam cum nomine *justitia*, ita ut sit sensus, justitiam, quæ in evangelio reveletur, *esse ex fide*, seu ita esse comparatam, ut non nisi ex fide, seu per fidem nobis obveniat, sic

B 3

autem

autem apprehensa sit *justitia in fidem*, hoc est fidei nostræ, seu ipsi credenti fiat maneatque maxime propria, utpote fidei isti apprehendenti imputata.

Rom. III, 22. ubi hoc ipsum, quod *justitia Dei veniat ex fide in fidem*, egregie declaratum videas, quando *justitia Dei venire dicitur διὰ πίστεως ἰησοῦ χριστοῦ*, per fidem in Jesum Christum; *εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας τὰς πιστεύοντας*, in omnes & super omnes credentes.

Rom. IV, 11. & 13. Abrahami *justitia*, quam ex promissione accepit, dicitur *justitia fidei*. Et v. 16. dicitur *ex fide*, scilicet venire *justitia*, uti LUTHERUS vi contextus recte supplevit.

c. IX, 30. coll. v. 31, 32. *Gentes acceperunt justitiam*, *justitiam vero τὴν ἐκ πίστεως, quæ ex fide est*, nimirum eam apprehendente. Confer de hac locutione c. I, 17. & c. III, 22. c. X, 6.

c. X, 4. *Christus est finis legis ad justitiam omni credenti*.

v. 6. *Justitia ex fide*, opposita illi, quam Moses describit ut eam, quæ est ex operibus. v. 5.

v. 10. *Corde creditur ad justitiam*. Ubi credere ad *justitiam*, idem est ac credere ad salutem, vi præcedentis adfert v. 9, ex quo hoc adsumitur. Ibi enim dicitur: *Si corde credideris - salvaberis*.

Gal. V, 5. *Nos spiritu ex fide spem JUSTITIÆ* (respectu plenissimi fructus, ubi corona *justitiæ* dabitur I Tim. IV, 8.) *exspectamus*: & quidem *justitiæ* talis, quæ *justitiæ* e lege quæsitæ opposita est, secundum v. 4.

Hebr. XI, 7. *Noachus justitiæ secundum fidem factus est hæres*.

† Petr. I, 1. *Simeon Petrus - illis qui æque pretiosam nobiscum*



*hic cum fidem acceperunt in iustitia Dei nostri & Domini nostri Jesu Christi &c. Ubi fides in iustitia est fides, quae in iustitia acquiescit, tanquam in fundamento & elemento suo.*

Huc denique pertinet oraculum illud Chabacuci c. II, 4. *justus ex fide vivet.* Quod ter allegatum videas, Rom. I, 17. Gal. III, 11. Hebr. X, 38.

## PROPOSITIO VII.

Inprimis vero hic notanda est locutio ista, qua *fides nobis in iustitiam imputari dicitur.*

## ILLUSTRATIO.

Gen. XV, 6. *Credidit Abrahamus Domino & imputavit ipsi ad iustitiam.*

Rom. IV, 3. *Credidit Abrahamus Deo &c.*

Item v. 5. *Qui non urget opera, credit autem in illum, qui justificat impium, imputatur ipsi fides ipsius in iustitiam.*

v. 9. *Imputata fuit Abrahamo fides ejus in iustitiam.*

v. 22. *Et imputatum est ei [quod scilicet crediderat] ad iustitiam. conf. v. 23, 24.*

Gal. III, 6. *Abrahamus credidit Deo & imputatum fuit ipsi in iustitiam. Conf. Jac. II, 23.*

Fides vero nequaquam imputatur in iustitiam respectu dignitatis suae propriae, & in quantum est nova qualitas in animo; sed in quantum Christum apprehendit. Unde quemadmodum iustitia Christi nobis non aliter imputatur in nostram iustitiam, quam fide apprehenditur.

apprehensa; ita nec fides nobis aliter imputatur in justitiam, quam in quantum est apprehendens, justitiæ Christi innixa. Id quod liquet

1. *E conditione subjecti credentis*, quod est homo pœnitens quidem, at qui antehac fuit impius, nec in præsens est ἐργαζόμενος, ulla opera in judicio Dei urgens, sed impietatem suam deplorat, ad thronum gratiæ simplex confugiens. Ejusmodi credenti Deus fidem imputat ad justitiam; qualis erat publicanus, bono opere meritorio, & ipsa fide justitiæ meritoria, plane destitutus. Luc. XVIII, 14. Ejusmodi vero impius ut justificetur, efficit satisfactio Christi, fide apprehensa. Alias enim Deus, qui detestatur eos, qui impium in foro humano justificant, seu pro justo declarant Prov. XVII, 15. impium justificare haud posset.

2. *E conditione fidei ipsius*. Hæc, in quantum est virtus, seu bona qualitas in animo, tunc, quando justificat, seu ad justitiam a Deo imputatur, ordinariè adhuc est imbecillior, utpote in renovatione, quæ demum consequitur, nondum exulta. Ergo ad justitiam, coram Deo valentem, seu judicio Dei opponendam, imputari nequit; quemadmodum ne reliquæ quidem hominis virtutes, etsi magis exultæ & conjunctim sumtæ, ad eam imputari possunt. Et si fides, in quantum est bonum opus in animo, judicio Dei posset opponi, & a Deo ad justitiam imputaretur, Deus justificaret τὸν ἐργαζόμενον; quod tamen Paulus expresse negat.

3. *E natura & proprietate fidei relativa*, quæ est respicere promissiones de Christo redemptore, ejusque lytrum ac justitiam, tanquam objectum suum primarium,

um, in justitiam amplecti: quemadmodum liquet ex Propositione IV. V. & VI. Unde imputatio fidei non potest non fieri respectu objecti istius.

4. *Ex ipso Abrahami exemplo*, in cujus expositione & applicatione Paulus locutionem de *fide ad justitiam imputanda* adhibet. Nam Abrahami fidem ad Christum respexisse, liquet e theologia Abrahami & piorum patriarcharum omnium, qui inde a promulgato protevangelio vixerant. Et hoc ipsum confirmat Paulus in hoc ipso loco c. IV. v. 3, 25. collat. c. III, 22. seqq. Gal. III, 6, 14, 16, 22, 26, 29.

## PROPOSITIO VIII.

Doctrina de justitia Christi ad justitiam nostram nobis imputabili, & hactenus didascalice ac hermeneutice descripta, illustrat etiam multa alia Scripturæ loca, in quibus fit *justitia* mentio.

## EXEMPLA.

Matth. V, 6. *Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur.* Ubi *esurire & sitire justitiam*, est eam fide quasi famelica & siticulosa appetere; *saturari* vero, in ea apprehensa cum svavi pacis sensu acquiescere.

c. VI, 33. *Querite primum regnum Dei & justitiam ejus &c.* Ubi justitia Dei, regni cimelium præcipuum, est justitia Christi, per cujus imputationem nobis aditus patet in regnum Dei. Atque ita locus hic posterior

C

rior

rior priori est parallelus. Quod enim priori dicitur *esurire & sitire*, id posteriori vocatur *querere*. Conf. c. XXI, 32. ubi Joannes dicitur *in via justitiæ ad Judeos venisse*, ita ut hanc ipsis monstraverit, cum eventu partim ἀπιστίας, partim fidei.

Jo. XVI, 8, 10. Spiritus Sanctus, quando advenerit, mundum convincet de justitiâ, quod ego ad patrem eo: hoc est, de justitiâ, meo ad patrem aditu parta.

Rom. V, 17. Qui abundantiam gratiæ & doni JUSTITIÆ (in oppositione ad Adami injustitiam, universo humano generi imputatam) acceperunt, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Ubi nota, regnum cum justitiâ conjungi, tanquam cum aditu ad ipsum, uti Matth. VI, 33.

v. 21. Uti regnavit peccatum per mortem, ita etiam gratia regnabit per JUSTITIAM ad vitam æternam, per Jesum Christum, Dominum nostrum.

Rom. VIII, 10. Spiritus vitæ est propter JUSTITIAM, h. e. vitæ æternæ destinatus, propter meritum Christi.

Rom. XIV, 17. Regnum Dei est JUSTITIA, pax & gaudium in Spiritu Sancto. Conf. Matth. VI, 33. querite regnum Dei & ejus justitiam. &c.

2 Cor. III, 9. Ministerium JUSTITIÆ (ministerio condemnationis ibidem oppositum) abundat gloria. Conf. c. XI, 15. ubi ministri evangelii vocantur ministri JUSTITIÆ, quorum schema satanas assumat.

Gal. II, 21. Non abjicio gratiam Dei (quæ scilicet in Christo justitiam offert.) Si enim per legem JUSTITIA (datur) igitur Christus (illius justitiæ pariendæ causa mortuus) frustra mortuus est. Conf. c. III, 21.

Eph.

Eph. VI, 14. *State induiti thoracem JUSTITIAE*, quo non minus animus, quam militari thorace pectus, munitur.

2 Tim. IV, 8. *Reposita mihi est corona JUSTITIAE*, quam reddet mihi Dominus &c.

Hebr. V, 13. *Omnis qui adhuc lacte eget, expertus est λόγος δικαιοσύνης, verbi justitiae*, i. e. evangelii de Christi justitia, quatenus illa se habet in typo & antitypo, uti Apostolus deinceps in hac ipsa epistola edisserit.

c. VII, 2. *Melchisedecus*, Christi typus, per interpretationem est rex JUSTITIAE, qui justitiam omnibus subditis partam donat, illa ipsos vestiens & exornans coll. Apoc. I, 5. 6. c. V, 9. VII, 14. XIX, 7, 8.

1 Petr. II, 24. Christus peccata nostra ipse sustulit corpore suo in lignum, ut peccatis ἀπογεγόμενοι (von der Sünde losgemachet / quod ad justificationem & regenerationem simul pertinet) JUSTITIAE (nobis hac ratione donatae) vivamus, fructus ejus ferentes per omnem vitam, quandoquidem Christi vibice sanati sumus.

2 Petr. II, 5. *Deus Noachum JUSTITIAE praekonem custodivit, diluvio mundo impiorum indulto.*

Not. 1.] Huc pertinent loca quamplurima, ubi de fidelibus dicitur concretum, ipsos esse δικαίους, JUSTOS, ab abstracto, JUSTITIA, desumptum. Quae appellatio etsi plerumque sensu latiori summitur, ita ut omnino etiam ad inhaerentem justitiam, seu sanctimoniam vitae, respiciatur, tamen potior in plerisque locis est respectus ad JUSTITIAM Christi imputatam. Quorum considerationem ipsi Scripturae sacrae lectori industrio permitto.

mitto. Eadem est ratio nonnullorum locorum, in quibus vox *justitia* occurrit, & ad *justitiam vite* ita respicitur, ut supposita *justitiæ fidei* notio sit primaria; quæ loca paulo ante studio omissa sunt v. g. *Persequere justitiam, jage nach der Gerechtigkeit* 1 Tim. VI, 11. 2 Tim. I, 22. Item 2 Tim. III, 16. *Scriptura sacra utilis est ad institutionem illam, quæ est IN JUSTITIA.* Sic quando Paulus JUSTITIAE tribuit fructus, ea præcipue est *justitiæ fidei*. Phil. I, 11. Hebr. XII, 11. Conf. Jac. III, 18.

2.] Huc porro pertinent loca illa, quæ magno numero adhibent verbum *δικαίωσις, justifico*, h. e. *justitiam imputo*, & quidem itidem adjecta mentione fidei, ut: *justificari ex fide, per fidem*, de quibus deinde Sect. II. Propos. V. Et ejusdem ordinis esse nomen *δικαίωσις*, a verbo isto deductum, & a Paulo adhibitum Rom. IV, 25. V, 18. res ipsa docet. Eadem est ratio vocis *δικαιοσύνη* Rom. V, 16, 18. Conf. Apoc. XIX, 8.

3.] Hæc de *justitiæ fidei imputabili* e novo præcipue fœdere. Quod cum nihil habeat, quod in scriptis Mosis ac prophetarum traditum haud sit, facile potest colligi, eandem in iis doctrinam contineri. Hoc ipso respectu Noachus erat præco JUSTITIAE, qui justitiam Messiaë evangelicam, inde a protevangelio fidei patriarcharum propositam, pro doctrinæ suæ ac rei sacrificialis nucleo habuit 2 Petr. II, 5. Idem objectum habuit fides patriarcharum postdiluvianorum, & inter eos præcipue magni Abrahami, ut præter rem ipsam liquet e tractatione Pauli, de Abrahami exemplo  
infi-

instituta Rom. IV. Et hoc ipsum dogma fuit medulla totius rei Leviticæ, uti liquet e Decad. I. Dissertat. V. nec non theologiæ propheticæ, ibidem & deinceps ex eo passim simul illustratæ. Instar omnium est geminum illud oraculum apud Jeremiam, quod Messias sit *Jehovah, justitia nostra.* c. XXIII, 6. c. XXXIII, 16.

## PROPOSITIO IX.

Vocabulum JUSTITIAE, sensu evangelico de justitia Christi imputabili acceptum, uti maximæ est emphaseos, sic statui institutionis, nec non destitutionis ac restitutionis, est accommodatissimum, insuper naturam justitiæ Dei vindicis declarans, eique per satisfactionem respondens.

## ILLUSTRATIO.

1. Emphasin istius vocis hactenus consideravimus: maxime vero ea conspicitur e Dissertationibus de satisfactione typica & antypica.
2. Statui *institutionis* est convenientissima. In hoc enim humana natura habuit *justitiam* intime inhærentem ex ipso creationis beneficio, uti liquet ex oraculo Mosis de homine ad imaginem Dei conditio Gen. I. nec non Pauli itidem de homine secundum Deum, seu ad Dei imaginem, in justitia & sanctitate veritatis. h. e. verissima & præstantissima, creato. Eph. IV, 24. Col. III,

10. Quæ *originalis justitia* totam hominis integritatem, postea amissam, constituit.

3. Nec minus vocabulum *justitiæ*, & res eo notata, statui *destitutionis* convenit, etsi a contrario. Nam pro eo homo hæret in mera *injustitia*, præter miseriam summam summum reatum habens, & *justitiæ* egentissimus.

4. Ipsa vero *restitutio* hominis cum egeat *justitia*, seu eam requirat, videmus jam a priori, ejusmodi opus fuisse evangelio, quod acquisitionem & imputationem *justitiæ* cum reliqua ejusdem applicatione exhiberet.

5. Et quandoquidem *justitia* Dei *vindex*, suum prosequens jus, compensationem postulabat intermissi debiti, & culpæ ob illud malitiose contractum dictabat pœnam, via hæc *justitiæ*, per substitutionem acquisitæ, seu per solutionem lytri præstitæ, & hinc applicabilis, ipsi *justitiæ* Dei vindici maxime erat consentanea.

6. Quia vero *injustitiæ* status per lapsum contractus non solum *reatum* continet, sed etiam *intermissionem debiti officii*; hinc *justitia* Christi imputabilis non potuit non ita esse comparata, ut tolleret non solum reatum, sed ut etiam debita officia plenissime compensaret, tali imputationis & applicationis ordine constituto, quo *justitia* hæc *fidei* imputata internis & externis *justitiæ*, ad *vitam* pertinentis, fructibus suam & præsentiam & *γνώσιον* probaret. Atque ita *justitia vitæ* certus *justitiæ* *fidei* character est.

PROPO



## PROPOSITIO X.

Duæ voces biblicæ hic probe notandæ sunt, in quibus uti cardo ver-  
latur evangelii, sic præcipue ad *justi-*  
*tiam fidei imputabilem* respicitur, doctri-  
na de justificatione inde illustrata;  
quæ sunt PROMISSIO & BENE-  
DICTIO.

## ILLUSTRATIO.

1. *Promissio* naturæ est mere evangelicæ & ipsum evangelium de Christo promissum, eique opponitur *comminatio*, quæ naturæ est legalis, & ipsa lex minas intentans.

2. *Benedictio* est promissionis collatio, seu effectus, postus in bonis evangelicis, a Christo partis & collatis; eique opponitur *maledictio*, quæ nihil est aliud, quam *comminationis* divinæ exsecutio in irrogatione pœnarum, culpæ debitarum.

3. *Comminatio* lapsui opposita lapsu commisso abiit in *maledictionem*, totum humanum genus ob culpam pœnæ reddens obnoxium, *lege* hic officium suum faciente.

4. *Comminationi iræ* ex interventu Filii Dei, futuri Messæ & Salvatoris, opposita est *promissio* gratiæ, & *maledictioni benedictio*, seu ipsa gratiæ collatio.

5. Hinc intelligitur, cur universa theologia patriarcharum & ecclesiæ Judaicæ Evangelica pro centro & peri-

peripheria sua omni habuerit *promissionem de Messia & benedictionem in Messia*; inprimis *Abramica* illa theologia, *promissione* promissaque *benedictione* illustris.

6. Cum vero una eademque in veteri ac novo testamento esset via ad salutem per Christum, res ipsa postulabat, ut etiam in novo testamento omnia referrentur ad *promissionem* gratiæ, & quidem tanquam impletam, ideoque *benedictione* amplissima abundantem.

7. De *promissione* implenda ac impleta videantur præcipue loca sequentia Luc. I, 31. seqv. 54, 55, 68. seqq. inprimis v. 73. seqv. II, 10. seqqv. XXIV, 26, 27. Act. XIII, 23, 32. Rom. IV, 13, 14, 16, 20. XV, 8. 2 Cor. I, 20. VII, 1. Gal. III, 14, 16, 17, 18, 21, 22, 29. IV, 4. seqq. Eph. I, 13. III, 6. 2 Tim. I, 1. Hebr. IV, 1. VI, 12, 15, 17. VII, 6. IX, 15, 36. XI, 9, 13, 17, 33, 39. Conf. 2 Petr. I, 4. &c. Taceo ea, in quibus non quidem *vocabulum*, res tamen *promissionis* occurrit.

8. De *benedictione* vide inter alia Rom. XV, 29. Gal. III, 8, 9, 14. Eph. I, 3. Hebr. VI, 14. 1 Petr. III, 9. Ipsam *benedictionis* rem innumeris fere locis exhiberi, nemo nescit. Et ab hac *εὐλογία* fideles dicuntur *εὐλογημένοι τῷ πατρός*, *benedicti* patris, Matth. 23, 34. quia *maledictio* iudicis in *benedictionem* patris ipsis conversa est, *vocabulo maledictionis & benedictionis*, quæ pro *notione* sua grammatica ad os & sermonem referuntur, ipsius *rei* ac *collationis* pondus habente. Usus vero *εὐλογίας*, *benedictionis*, dignus fidelium animos ac ora merito solvit in gratiarum actionem & *ἑαυτοθυσίας*, solenni, & ipsi *εὐλογίας* beneficio convenienti, formula *εὐλογητός* expressam. Vide Luc. I, 68. 2 Cor. I, 3. Eph. I, 3. 1 Petr. I, 3. &c. quod idem est ac Hebræorum ברוך יהוה.

9. Restat, ut paucis adhuc ostendatur, *promissionis & be-*

& *benedictionis* nervum præcipuum esse in *justitia Christi* nobis *imputabili*, istasque voces præcipue ad justificationem pertinere, inclusa tamen renovatione. Hoc vero liquet

- a) *Ex opposito*, quod est *comminatio* ac *maledictio*. Hæc apud hominem locum habet propter *injustitiam* & universum *injustitiæ* statum, inde ab Adami actu contractum. Huic vero *injustitiæ* Adami *imputabili* & nostræ *inhæsitivæ* medetur *justitia Christi* *imputabilis*, ideoque demta *comminatione* ac *sublata maledictione* *promissionem* transfert ad *benedictionem*.
- b) *E nucleo theologiæ patriarchalis*, qui erat *justitia Christi* e redemptione ejus nobis *imputabilis*. Vide supra not. 3. ad Propos. VIII. Jam vero *promissio* & *benedictio* omne fert punctum in ista theologia, in quantum erat evangelica. Ergo necesse est, *promissionis* ac *benedictionis* istius centrum fuisse ipsam *justitiam Messie* nobis *imputabilem*.
- c) *E Pauli explicatione*; utpote qui, Rom. IV. doctrinam evangelicam de *justitia fidei* declaraturus, in exemplo Abrahami ex fide *justificati*, seu cui fides *justitiam Christi* apprehendens ad *justitiam* *imputata* fuit, ad *promissionem* de hoc ipso beneficio factam provocat.
- d) *E loco Gal. III, 8, 9, 13, 14.* ubi *promissio* & *benedictio* conjunguntur, & quidem, uti integer epistolæ contextus habet, in sermone de *justitia Christi* per fidem applicabili. Inprimis notabile hic est comma 21. & 22. ubi *justitia*, quam lex dare non poterat, sed postulabat, e *promissione* evangelica derivatur, per fidem in Christum obtinenda: nec non
- D com-

comma 13. ubi Christus, ut nos a legis *maledictione* redimeret & nobis *benedictionem*, cujus nervus præcipuus est in *justitia imputabili*, acquireret, dicitur factus *anathema*, *maledictio*.

Hæc hæctenus de justitia Christi ad justitiam nostram imputabili, & de ipsa imputatione ac non-imputatione, quæ locum habet in justificatione. Jam de hac ipsa justificatione & natura ejus forensi pluribus & ex instituto.

## SECTIO POSTERIOR

DE

### ARGUMENTIS RELIQUIS,

*quibus sensus justificationis forensis, in justitia Christi imputatione & nostræ injustitiæ non-imputatione, seu remissione, positus, demonstratur.*

PROPOSITIO I.

Sensus justificationis forensis, in imputatione alienæ justitiæ, & non-imputatione propriæ injustitiæ, seu peccati, positus, probatur 1) e *typo*, seu *re sacrificali*, & multis quidem multis modis; præcipue bifariam: a) e sur-

e surrogatione victimæ, tanquam imputationis & non-imputationis fundamento: b) ex adjuncto, seu expiationis, per surrogationem factæ, effectu, qui erat in remissione peccatorum.

## ILLUSRATIO.

1. Surrogationem in re sacrificiali unum fuisse e momentis ejusdem præcipuis, nunc non demum probò, sed suppono, utpote abunde probatum in Dodecadis prioris Dissertat. V. Propof. IV. XII. XIII. XVI. Confert. Dissertat. VII. Propof. V. X. XII. XIII. & Dissertat. VIII. Propof. XIX. & XX.

2. Jam vero hæc erat surrogationis ratio: Victimæ piaculari, quæ loco hominum ipsorum offerebatur, peccata offerentium, adhibito χειροθεσίας & confessionis ritu, imponebantur, non inhæsiue, sed λογιστικῶς, per imputationem; atque ita impositione ista imputabantur. Vice versa officium, seu meritum, vicariæ victimæ, in mactatione, sanguinis effusione & religiosa adspersione, ipsiusque victimæ combustionem positum, imputabatur offerenti, eo cum effectu, ut peccata ipsius eidem non imputarentur, sed remitterentur, utpote in victimam per imputationem jam translata, & per eam expiata & ablata.

3. Atque ita surrogatio, tanquam *imputationis* fundamentum, per se gignit *non-imputationem*, tanquam imputationis consequens. Etenim peccatum homi-

nis offerentis eum in finem victimæ imputabatur, ut per eam expiatum offerenti, victimæ merito ipsi imputato, non imputaretur, sed remitteretur. Et hoc ipsum indicatum videas solenni ista formula de oblationis effectu adhibita: וְנִסַּח לוֹ וְנִסַּח לָהּ, καὶ ἀφεθήσεται αὐτῷ, ἀφεθήσεται αὐτοῖς, ἢ ἀμνηστία, sic condonabitur illi, sic condonabitur illis, so wirds ihm/ so wirds ihnen vergeben werden. Vide Lev. IV, 20. 26. 30. 35. V, 10. 13. 16. 18. VI, 7. &c. Conf. Dodecad. I. Dissertat. V. Propos. XI.

4. Quæ cum ita sint, quis dubitaret, evangelicum justificationis negotium consistere in imputatione & non-imputatione. Nam quidquid doctrina sacrificialis habuit in typo, œconomia evangelica habet in antitypo, utriusque testamenti analogia hoc pacto quam optime conspirante.

5. Notandum vero probe est adversus hujus doctrinæ abusum, in imputatione supponi ordinem pœnitentiæ; utpote sine quo nulla in sacrificiis valuit interior & spiritualis applicatio, etsi externi ritus recte se haberent. Conf. Jes. I, 11. seqq. Jer. VI, 20. Prov. XV, 8. XXI, 27. &c. Item Lev. XVI, 29, 30. ubi *dies expiationis* simul describitur ut *dies pœnitentiæ* sollemior. Cum vero pœnitentia sine fide haud esset salutaris & genuina, omnino simul fides commendabatur, nimirum fides in satisfactione vicaria ita acquiescens, ut, quia hæc per se ad salutem haud erat sufficiens, sub ejus pædagogia ad ipsam Messia satisfactionem respiceret.

PROPOSITIO II.

Sensus justificationis forensis in alienæ

lienæ justitiæ imputatione, & non-imputatione propriæ injustitiæ positus, 2.] probatur multis modis e fundamento justificationis antitypico, quod est EXPIATIO, seu SATISFACTIO CHRISTI.

## ILLUSTRATIO.

1. Satisfactio Christi est opus hilasticum, quo is, tanquam victima vicaria, in humani generis locum e voluntaria sponsione & divina imputatione surrogatus, pro eodem justitiæ Dei immutabili, eique forensi ac vindici, per obedientiam activam & passivam ita fecit satis, ut, humani generis debito expleto & reatu sublato, illud ipsum expiaverit, & abundantissimum meritum acquisiverit, ipsi loco peccati non imputandi imputandum. Et hoc est, quod Dodecad. prioris Dissertat. VII. & VIII. integra XXXII. Propositionum serie demonstratum & illustratum est.

2. Supposita vero *satisfactione* non potest non locum habere justificatio forensis, in imputatione & non-imputatione posita, tanquam ejusdem applicatio. Quia enim *satisfactio* est forensis, etiam *justificationem* forensis esse oportet. Et quia *satisfactio* supponit *imputationem alienæ injustitiæ*, Christo factæ, necesse est, inde redundare *imputationem justitiæ alienæ*, seu Christi, illis, in quorum locum is ad satisfactionem fuit surrogatus, destinatæ, cum injustitiæ propriæ, tanquam expiatæ, non-imputatione conjunctam. Nisi enim hic

imputationis & non imputationis effectus redundaret e satisfactione, hæc tota fuisset supervacanea, immo nulla.

3. Hæc ipsa imputabilitatis natura e singulis satisfactionis argumentis elucescit, speciatim ex illis, quæ per synonymiam sacram sensum *redemptionis* forenssem exhibent. Nam omne lytron vicarium pro sua natura est *imputabile*; utpote quod, quia *solvitur & accipitur* pro alio, non potest non alii *imputari*. Alias esset nullum; aut iudicium, quod ejus imputationem & applicationem denegaret, esset injustum.

4. Sensus justificationis forenssem e forensis satisfactionis fundamento probari, agnoscunt etiam illi, quotquot notionem istam justificationis forenssem negant. Hi enim omnes, ut in ista negatione sua aliquam veri speciem habeant, nec argumento a *satisfactione* desumpto premantur, id omnibus agunt viribus, ut hoc ipsum justificationis forensis fundamentum, quod in ejusdem generis *satisfactione* positum est, penitus evertant. Quam vero inepte & infeliciter, vidimus Dodecad. I. Dissertationibus fere singulis. E contrario qui *fundamentum* istud agnoscunt, omnes uno animo ac ore etiam ejusdem applicationem, quæ in *justificatione* forensi est, urgent.

PROPOSITIO III.

Sensus justificationis forensis, in imputatione justitiæ Christi, tanquam secundi Adami, ac in non-imputa-



putatione nostræ injustitiæ positus, probatur 3.] ex analogia istius imputationis, qua peccatum παραπονήματ<sup>ο</sup> Adami primi actuale factum est peccatum totius humani generis, secundum Rom. V, 12. seqq.

## ILLUSTRATIO.

1. Quemadmodum reatus ex uno illo Adami delicto, quo fœdus, quod Deus cum ipso & universo humano genere inierat, violavit & imaginis divinæ jacturam fecit, sensu judiciali, immo justitiæ vindice, ita exigente, cessit εις κατάκριμα, in condemnationem; sic charisma Christi, seu donum justitiæ ejus gratuitum, a multis peccatis liberans, eodem sensu forensi cedit εις δικαίωμα, in meritum satisfactionis justificans, condemnationi isti forensi oppositum. v. 16.

2. Quemadmodum reatus condemnans per unum istud Adami peccatum non solum in Adamum, sed supposita imputatione in omnes etiam reliquos homines venit ad condemnationem: sic gratia absolvens & salvans per unius Christi δικαίωμα, seu meritum satisfactionis, in omnes homines se diffundit ad justificationem vitæ, seu absolutionem & salvationem. v. 18.

3. Quemadmodum per unius Adami inobedientiam (nimirum actuale illam παραπονήματ<sup>ο</sup>, seu rupti fœderis) peccatores constituti sumus: ita per unius Christi obedientiam justii constituimur multi. v. 19.

Atqui

Atqui per Adami inobedientiam peccatores constituti sunt multi ita, non ut inobedientia istius actualis ipsis fuerit infusa, & etiam ab illis ipsis ipso actu commissa, sed ut inobedientia ista, in ordine participatae per nativitatem corporalem labis habitualis, ipsis ad condemnationem fuerit imputata.

Ergo etiam per Christi obedientiam, seu iustitiam officii, iusti constituimur ita, non ut obedientia ista nobis infundatur & inhæsiue ipsoque actu nostro nostra sit, sed ut nobis imputeretur ad salutem; sed itidem in ordine per nativitatem spiritualem accensæ fidei & participatæ novitatis spiritualis.

4. Ceterum conferenda hic omnino sunt, quæ Dodecad. I. Dissert. III. Sect. II. de parte posteriore capituli V. epistolæ ad Romanos dicta sunt; nec non ea, quæ Dissert. IV. Propos. VII. II. IX. X. XI. de analogia utriusque imputationis culpæ Adami primi & meriti Adami secundi occurrunt, ubi simul ordo participationis in analogia nativitatis naturalis & spiritualis ostenditur.

PROPOSITIO IV.

Sensus justificationis & ipsius imputationis forensis probatur 4.] e  
*comparatione Christi ac fidelium dissentanea.*

ILLUSTRATIO.

I. Quemadmodum Christus, semen benedictum, pro nobis, seu nostra causa, factus est peccator, immo peccatum & maledictio: sic nos semen maledictioni natu-

natura obnoxium ipsius caussa reddimur justi, immo justitia, uti expresse perhibet Paulus 2 Cor. V, 21. Rom. VIII, 3. coll. c. V, 19. Conf. Gal. III, 13.

At Christus pro nobis, seu nostra caussa, non est factus peccator ac peccatum per infusionem & inhætionem; natus enim est sanctus, mansitque omnis inhærentis & sollicitantis peccati expers Luc. I, 35. Hebr. IV, 15. Vll, 26, 27. 1 Petr. I, 19. II, 22, 23. III, 18. 1 Jo. III, 5. sed per *imputationem*, siquidem peccata nostra ipsi imposita fuisse dicuntur Jes. LIII, 6. ita ut ipsorum peccatum subierit v. 5. Vide hanc peccatorum nostrorum imputationem, Christo factam, pluribus demonstratam Decad. I. Dissert. IV. Sect. I. Propos. VIII. p. 21. sqq.

Ergo nos, quantum ad justificationem attinet, non reddimur justi ac justitia per infusionem & inhætionem, sed per imputationem justitiæ illius Christi nobis partæ, & per non-imputationem injustitiæ nostræ: quæ tamen locum habet minime, nisi in ordine regenerationis, & nisi in cursu renovationis perpetua applicatione digne excolatur. Cujus ordinis gratia *infusio* & *inhætio*, etsi inchoata tantum, ab imputatione abesse nequit.

2. Huc refer, quæ Dodec. I. Dissert. V. præcipue Propos. V. & X. de imputatione peccatorum typica sunt proposita. Etenim, ut eorum nervum paucis repetam, in re sacrificali peccata offerentis victimæ piacularis (Christi typi) capiti, adhibita *χειροθεσία*, & edita confessione, imponebantur, seu imputabantur, eum in finem, ut offerenti homini victimæ *δικαιώματα* imputarentur, peccata vero per eam expiata & abla-

E

ta

ta non imputarentur. Vide Lev. I, 4. &c. coll. cum Lev. c. XVI, 21.

3. Divinum hoc ac reciprocum imputationis & non-imputationis negotium non inepte, etsi modo imbecilliori, illustratur illa Pauli actione respectu *Philemonis & Onesimi*, Philem. v. 12, 17, 18, 19. descripta: *Tu eum, tanquam viscera mea, suscipe. - Itaque si me socium habes, excipe eum, tanquam me. Quod si qua te injuria affecit, aut debitor tibi fuit, hoc mihi IMPUTA. Ego Paulus scripsi manu mea: ego rependam.*

PROPOSITIO V.

Sensus justificationis forensis, in declaratione ac æstimatione judiciali, seu imputatione & non-imputatione positus, probatur 5.) ex usu forensi verborum הצדיק & δίκαιος, justifico, alias in sacris usitato & de foro usurpato.

ILLUSTRATIO.

Exod. XXIII, 7. *Innocentem ac justum ne occidito, quia לא הצדיק LXX. & δίκαιος, non absolvam improbum (ejusmodi judicem, qui justum condemnat.)*

Deut. XXV, 1. *Si fuerit controversia inter aliquos, ideoque accesserint ad judicium, ut judicent eos, והצדיקו את הצדיק LXX. וישיעו את הרשע, tum justum pronuntiabunt justum והרשעו את הרשע, & condemnabunt improbum.*

2 Sam. XV, 4. *Dicebat Abschalon: quis constituet me judi-*

judicem in hac terra, ut ad me veniat cuicumque lis est aut  
caussa, והצדקתי LXX. και δικαιοσωσων αυτον, & justum pro-  
nunciam istum. Conf. 2 Reg. VIII, 32. Job. IX, 2, 3. XXVII,  
5. XXXII, 2, 3.

Prov. XVII, 15. מצדיק רשע, qui justum pronuntiat  
improbum, ומרשיע צדיק, & condemnat justum, abominatio-  
ni Domino sunt aequae ambo. Conf. Jef. V, 23. c. L, 8.

Not. 1.) Quod valet in judicio humano, multo ma-  
gis valet in judicio divino. Unde David preca-  
tur Psalm. CXLIII, 2. At ne congregiaris in judicio  
cum servo tuo, gehe nicht ins Gericht mit deinem  
Knecht / nam non est justus coram te ullus vivens.

2.) Verbum δικαιοσω, ex usu LXX. interpretum, quem  
tamen illi cum aliis auctoribus Graecis commu-  
nem habent, in scriptis Novi Testamenti usurpa-  
tum, eundem sensum habet. Vide Luc. XVIII,  
14. Act. XIII, 39. Rom. III, 20, 24, 26, 28, 30. IV, 5. V,  
1, 9. VI, 7. VIII, 30, 33. I Cor. VI, 11. Gal. II, 16, 17. III,  
8, 11, 24. Tit. III, 7. Et eadem notione forensi ad-  
hibetur etiam nomen δικαιοσις, justificatio. Rom.  
IV, 25. V, 18. Et huic usui praeverunt LXX. in-  
terpretes Jef. LIII, 11. ubi in codice Hebraeo ver-  
bum הצדיק de justificatione proprie dicta Chri-  
sto tribuitur in applicatione meriti, credentibus  
facta. Danielis vero XII, 3. מצדיקים sunt do-  
ctores justitiae, qui beneficium justificationis e-  
vangelicum commendant & poenitentibus appli-  
cant.

3.) Nec obstat, verbum δικαιοσω etiam adhiberi in lo-  
cis, ubi non agitur de justificatione hominis pec-  
catoris coram Deo. v. g. Matth. X, 9. Luc. VII, 29.

35. X, 29. XVI, 15. Rom. III, 4. 1 Tim. III, 16. Sufficit enim etiam in his illud notionem *declarationis* habere. Quæ quando de *judicio Dei* adhibetur, e significato suo, quem in declaratione habet, *generaliore* applicatur ad *specialem*. Immo illud de *judicio Dei* adhibitum videas, etsi de *absolutione evangelica* non agatur. v. g. Matth. XII, 32. Rom. II, 13. 1 Cor. IV, 4.

4.] Locus Jacobi c. II, 24, 25. singularis est, nec non ille Apoc. XXII, 11. Jacobæus habet sensum *declarandi*, seu *manifestandi*, *statum justificationis*, seu *gratiæ*, coram hominibus. Quo sensu etiam locus Joanneus accipi potest, nisi hunc de sensu *majori gratiæ justificantis* jam *acceptæ* intelligere malueris.

## PROPOSITIO VI.

Sensus justificationis forensis probatur 6) *ex opposito ejusdem*, seu *e condemnatione*, quæ *sine controversia* notio-  
nis forensis est.

## ILLUSTRATIO.

Utrumque habent loca jam adducta ex Deut. XXV, 1. Prov. XVII, 15. &c. Conf. Matth. XII, 37. Maxime autem illustris est utriusque notio-  
nis *forensis* oppositio Rom. V. & VIII. Et priori quidem loco v. 16. *νεῖμα*, seu *reatus*, dicitur tendere *eis κατάκριμα*, ad *condemnationem*, *charisma* vero, seu *meritum Christi* gratis donatum & applicatum, *eis δικαίωμα*, seu *eis δικαίωμα*, ad *justificationem*, uti v. 18. declaratur.

Rom.

Rom. VIII, 33, 34. *Quis accusabit electos Dei? Deus, ὁ δικαιῶν, qui justificat. Τίς ὁ κατακρίνων, quis est, qui condemnet? Christus is est, qui mortuus est, &c.* Conf. Rom. V, 1. coll. c. VIII, 1. ubi eadem est oppositio inter affirmatam δικαιῶσις, & negatum κατακρίμα.

Not. Quemadmodum aliquem *condemnare*, non est injustum facere, infusa injustitia, sed pro injusto declarare, & pœnis addicere: sic neque τὸ aliquem *justificare*, est aliquem facere justum, sed aliquem pro justo declarare, seu absolvere; etsi quod probe hic de disparitate notandum est, *infuso justitie*, seu potius *gratia & virium spiritualium*, hic nequaquam desit, sed ad regenerationem & renovationem pertineat, in cujus ordine & statu justificatio forensis fit & excolitur.

## PROPOSITIO VII.

Sensus justificationis forensis probatur 7) ex integra *actione judiciali*, sub qua doctrina de justificatione proponitur, ubi nimirum commemoratur *judicium, judex, reus, testis, accusator, advocatus &c.*

## ILLUSTRATIO.

*Judicium seu tribunal*, ipseque *judex* Deus, Rom. 11, 5, 12. 111, 6. XIV, 10. Conf. Matth. XXV, 32. 2 Cor. V, 20. item Jo. V, 27. Act. X, 42. XXVII, 31.

*Reus*, homo peccator, ὑπόδικος τῷ θεῷ, *judicio*

E 3

Dei

Dei obnoxius, Rom. III, 19. qui Psalm. CXLIII, 2. ita deprecatur: *Ne congregiaris in iudicio cum seruo tuo*, *gehe nicht ins Gericht mit deinem Knecht*. Conf. Psalm. CXXX, 3.

*Accusator*, Moses per legem. Jo. V, 45. Rom. III, 20. V, 20. & propria uniuscujusque conscientia Rom. II, 15. I Jo. III, 20, 21. Psalm. VI. XXXII. &c. nec non ipse *Satanas* Apoc. XII, 10. Confer historiam Jobi.

*Testis*, itidem conscientia, confer Rom. II, 15;

*Advocatus*, & quidem talis, qui simul obit vadium, & reorum causam exsolutione lytri commendat vindicatque. I Jo. I, 1, 2. Matth. XX, 28. I Tim. II, 6.

*Forma iudicii*, posita in causarum omnium excussione, & pro ratione lytri, in ordine poenitentiae vel accepti, vel rejecti, in absolutione, aut condemnatione. Matth. XXV, 31. seqq.

Not. 1.) Vis hujus argumenti hæc est: si omnia, quæ ad iudicium requiruntur, in sacris de negotio salutis dicuntur, eo minus negari potest sensus forensis verbi per se forensis, *δικασμα*, iustifico.

2.) Nec obstat, loca ista ex parte respicere ad iudicium Dei extremum. Ut enim in eo consistere possimus, requiritur praxis iudicii privati & interni salutaris, qua jam in tempore *forum* jungitur *foro*, forum conscientiae foro Dei ad accipiendam absolutionem. Et hanc ipsam praxin præviam requirunt loca de reo, accusatore, teste & advocato adducta. Quid? quod scriptura iustificationem, quæ hujus est praxeos forensis, ad hanc vitam



etiam omnino referat, & in ordine pœnitentiæ commendet.

## PROPOSITIO VIII.

Sensus justificationis forensis probatur 8) ex aliis locutionibus, quibus in sacris litteris justificatio *συνερισμος* describitur, uti sunt: peccata remittere, peccata tegere, peccata delere, obliterare & expungere, condonare, peccatorum non recordari; non judicari, seu non condemnari.

## ILLUSTRATIO.

1. Peccata remittere: quæ locutio omnium frequentissima est in scriptis utriusque fœderis. Psalm. XXXII. & Rom. IV. &c. Nec parum illa illustratur e solenni illa formula sacrificali, qua expiationis fructus indicatur, ונסלח לו, & condonabitur illi. Quæ recte considerata etiam confirmat sensum condonationis in phrasi remittere peccata.

2. Peccata tegere Psalm. XXXII, 1. Rom. IV, 7. Quæ locutio respondet verbo sacrificali כפר, quod significat peccatum merito alieno ita obtegere, ut expietur, & expiatum remittatur, seu non imputetur.

3. Peccata delere instar nubis Jes. XLIV, 22. peccata obliterare & quasi expungere Act. III, 19. locutione a chirographo debitorum defumta. Confer Coloss. II, 13,

14. Condonare in Christo Ephes. IV, 32.

†. Pec-

4. Peccatorum non recordari Pfalm. XXV, 6. sed ea abjicere post tergum. Jef. XXXVIII, 17. & in profundum mare. Mich. VII, 19. eorum non amplius recordari Jef. XLIII, 25.

5. Non judicari, seu non condemnari. Jo. III, 16, 17. non venire in iudicium condemnationis. c. V, 24. Id quod ita dicitur de consummato eventu, ut etiam locum habeat in iudicio παρασκευασικῶ, im Vorgericht der Buße.

## PROPOSITIO IX.

Sensus justificationis forensis est etiam in illis ejus *synonymis*, quæ a re sacrificiali desumpta sunt. v. g. Hebr. IX, 14. XII, 24. 1 Petr. I, 2. 1 Jo. I, 7. Apoc. I, 5. V, 9. VII, 14.

## ILLUSTRATIO.

1. Adspergi, mundari, purificari, lavari, sanguine Christi, Hebr. XII, 24. 1 Petr. I, 2. 1 Jo. I, 7. Apoc. VII, 14. Hi ex afflictionibus magnis venientes, laverunt stolas suas, & depurarunt stolas suas sanguine agni. Qui locus cum c. I, 5. & V, 19. collatus egregiam acquisitionis & applicationis harmoniam exhibet.

2. In his locutionibus beneficium sanctificationis nequaquam excluditur a justificatione, sed includitur ratione ordinis & effectus, imprimis in locis Hebr. IX, 14. 1 Jo. I, 7. Eas vero respectu suo primario agere de justificatione, ex eo manifestum est, quod sanguis typicus erat ἱλαστικός, Lev. XVII, 11. Unde de eo recte dicitur

citur Hebr. IX. omnia fere sanguine purificantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio. Ergo ἀπαρχὴν σα-  
crificiali obtinebatur remissio, in typum remissionis,  
Christi sanguine, seu cruento merito obtinenda. Et  
quia per sanguinem fiebat expiatio, expiationis mentio-  
ni subinde additur solemne illud וְנִסְרָה לִּי, & condona-  
bitur illi. Quam causam ejusque effectum optime  
conjungit Paulus: justificamur, inquit, gratis Dei gra-  
tia per redemptionem, quae in Christo est. Rom. III, 24. In  
Christo habemus remissionem per ipsius sanguinem, remissio-  
nem peccatorum. Eph. I, 7. Confer Coloss. I, 14.

3. Eadem est significatio purificationis in nonnullis  
locis, etiam quando mentio sanguinis expresse non est  
addita, v. g. Act. XV, 9. Deus fide purificavit gentium cor-  
da. Ubi respectus ad sanguinem eo minus excluditur,  
quo magis fidei proprium est, sanguinem Christi  
ἰλαστικόν, seu meritum ejus, apprehensum sibi appli-  
care Actor. XXII, 16. 1 Cor. VI, 11. Conf. Eph. V, 16.

4. Hæc hætenus de sensu justificationis foren-  
si: qui secundum demonstrationis, quam utriusque  
sectionis deductio habet, seriem recte consideratus,  
tam firmus est, quod spero, ac certus, ut nullum re-  
linquat dubium. Et cum scriptura sacra in eo urgen-  
do & illustrando adeo, uti hætenus percepimus, sit  
sedula, facile intelligimus, in eo permagni momenti  
dogma esse. A quo quantopere recedat doctissi-  
mus Poiretus, posthac videbimus.

F

RE-

RESPONDENTI  
P R A E S E S

Salutem in Christo plurimam!



*P*ostquam in Systematis Poiretiani, quod Auctor clarissimus Oeconomiam Divinam inscribit, examine usque ad momenti primarii doctrinam de justificatione, aliquot Dissertationibus Academicis tractandam, sumus progressi, primam tibi, vir juvenis ornatisime, responsione publica defendendam sumisti. Quae cum argumentum hujus doctrinae praecipuum contineat, non dubito, te ex ejus lectione ac relectione tali, qualem digna ad actum publicum preparatio requi-

requirit, insignem fructum esse percepturum. Et inter alia inde intelliges, hoc ipsum dogma recte propositum ac intellectum nullum plane, & ne minimum quidem, patrocinium aut pretextum impietati vitæ præbere, sed studium potius sanctimonie evangelicum urgere ac promoveri quam maxime. Id quod eo cognosces liquidius, quo diligentius hujus Dissertationis materiam cum ea, quam Dodecadis prioris Dissertationis prima habet, & quæ in reliquis etiam identidem explanata commendatur, contuleris. Ea autem demum digna erit collatio, ea digna meditatio, quam viva propria conscientie praxis adjuvat & illustrat. In qua ut, quod reliquum est vitæ Academicæ, huc usque evictis peractæ, tempus, fideliter colloces, est quod pro mea erga te fiducia exspecto. Hanc enim praxin noveris esse illum ipsum ordinem, extra quem doctrinæ hujus tractatio publica & privata

vata apud auditores esse solet superficialia,  
manca, tepida, & hinc etiam maxima ex parte  
ἀλαετος. Tu vero, carissime Hildebrande,  
ut posthac in vinea Domini sis πολυκαετος, ipse  
dabis operam, hac ratione tuorum votum me-  
amque spem expleturus. Dabam Hal. Saxon.  
exeunte mense Februario anni MDCC XXI.



JJ 5225

ULB Halle

3

002 698 757




st

Ms 18

Mt:







DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
 DODECADIS POSTERIORIS  
 Q V I N T A,  
 DE  
**JUSTIFICATIO-**  
**NISSENSU FORENSI,**  
 IN THESI ARGUMENTIS  
 PLURIBUS DEMON-  
 STRATO:

QVAM  
 IN REGIA FRIDERICIANA  
*die Martii hujus M DCC XXI. anni*

*at.*

PRAESIDE  
**D. JOACHIMO LANGIO,**  
 S. THEOL. PROFESS. ORDINARIO,

RESPONSIONE PUBLICA DEFENDIT  
**JOAN. FRIDER. HILDEBRANDUS,**  
 BEERWALDA MESO-MARCHICUS,  
 S.S. THEOLOGIAE CULTOR.

---

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,*  
 Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.

